
SUPPLEMENTUM

A D

PRÆFATIONEM.

SIC fere ante annos quinque præfatus sum, cum Hecubam Euripideam, velut editionis novæ specimen, ederem. Nuper vero, cum Viri doctissimi atque humanissimi, quibus Typographeï nostri cura demandata est, dignam operam meam judicassent, quæ ex prælo inclytæ Academiæ nostræ exiret, hoc saltem facere enisus sum, ut hanc nimis fortasse benignam eorum opinionem non omnino fallerem. In notis igitur quædam addidi, aut mutavi; nihil autem prorsus delevi. Quæcunque momenti alicujus esse putavi, seorsum imprimenda curabo, ut ii, qui priorem editionem possident, quam minimo pretio secundæ bona, si qua tamen bona insunt, sibi comparare possint. Quod in fine præfationis pollicitus sum, sed tempore non præstituto, partim hodie repræsentare conabor, ut scilicet de Scenicorum Græciæ Poëtarum metris quædam disserenda suscipiam. Hos vero cancellos mihi ipse circumdabo, ut ne extra iambicorum, trochaicorum, atque anapæstorum limites egrediar. Quod tamen priusquam facio, pauca quædam, quæ brevius dixi, paullo explicatius, si potero, tradam.